



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XXI. JANUARI.



*Arifis. a. d. 26. Dec.*

Ante hos sex dies vxor nobilissimi cuiusdam caussarū actoris, nomine *Durandi*, 3. filios et 1. filiam vno partu feliciter enixa est, qui omnes sacro fonte abluti quidē, sed 3. post die mortui sunt. Quidā vrbis nostræ syndicus, alieno ære oppressus, foro cessit, \* debita, quæ creditoribus dissoluere debuisset, quindecies centenorum millium fuere; quum igitur ipsum comprehendere non licuerit, imago eius in tabula depicta patibulo propediem affigetur. Pedissequus *Marchionissa* cuiusdam, decimum iam annum inter domesticos eius agens, ea nuper vsus est temeritate, vt clam in dormitorium dominæ suæ nocturno

tempore ingressus, a femina hac castissima, vt sibi corporis copiam daret, contenderit: quæ cum diu multumque, quomodo hominem sceleratum eluderet, cogitasset, annuere se precibus eius atque obsecundare velle respondit, si prius sordes de corpore abluisset, atque se, deprompta ex pyxidibus vnguedine inunxisset, quod ille propere, facturus in secluforium moxabiit, interea vero Domina de lecto surgens, obdito foribus pessulo, seruos reliquos voce sublata de somno excitat, qui mox accurrentes focium huncce suum prehensum, aduocatis custodibus publicis tradiderunt, in carceres deducendum. Cum autem diligentius scrutati fuissent hominem, vestibus detractis, sicam ac duos præterea sclopos minores inter fascias apud eum inuenerunt, vnde Car-  
touchii

touchii eum fuisse socium, ominamur. Ceterum Princeps *Dolboruckius* Rufforum Imperatoris legatus, ob pacem cum Suecis initam, sacra solemnia, a. d. 21. mensis præsentis celebrare cœpit, vesperscente namque cœlo omnes ædium suarum portas atque fenestras facibus illustrandas, extus autem ignes festivos accendendos curavit deinde conuocatis omnibus aulæ proceribus, principibusque viris ac feminis epulas exhibuit apparatusissimas, quas saltationes consecutæ sunt ad horam vsque septimam matutinam.

*Alia ex eadem vrbe, a. d. 2. Ianuarii:* Nihil iam magis exoptant vniuersi incolæ Galliæ, quam vt rex in suam perueniat tutelam, atque post impositum capiti suo insigne regium, imperium ipse capeffat, quod vbi factum fuerit, tum demum sperant fore, vt quæ ad salutem reipublicæ pertinent, maiori æquitate cuncta constituentur, atque feliciorum sortiantur euentum.

*Londini, a. d. 23. Decemb.* Quoniam proximis hisce diebus duo cursores extraordinarii Mantuam Carpetanorum, ac præter hos duo alii, ad Gibraltariæ præfectum sunt missi, varii varia exinde ominari incipiunt. Ex America tristis ad nos perlatus est nuntius, classem, quæ ex insula Iamaica, mense Septembris soluerat, paucos post dies vi tempestatum ad eandem insulam iterum redire coactam, ac quoniam naues in diuersos reiectæ sunt portus, eas in illis non satis omnino esse tutas. Sex nauium in Indiam Orientalem destinatarum præfecti in naues suas iam adscenderunt: sunt præterea & aliæ naues numero decem, iam instructæ, quæ cum illis dimittentur. *Milnerus*, mercator opulentissimus, dolorum podagræ quibus cruciabatur, impatiens,

glande plumbea ex sclopo minori semettraiecit. Pictorem quendam apud nos artem adinuenisse ferunt, qua omnes omnium rerum imagines coloribus oleaceis ita possint imprimi, vt pictoris exercitatissimi penicillo pictæ videantur.

*Hagæ Comitum, a. d. 3. Ian.* Fama nuper fuerat Lawium inter proceres curiæ adscriptum iri, quod an futurum certo sit, nemo non scire desiderat. Auspiciis celsissimorum in Belgio fœderato procerum diem 21. Ianuarii, supplicationibus & ieiuniis publicis sacrum habebimus. Ita enim illi nuperrime edixerunt.

„Immensa Dei præpotentis clementia  
 „& misericordia factum est, vt res patriæ nostræ ad hunc vsque diem inconcussæ persistant, & publica tranquillitas paxque optatissima in regionibus nostris perennent. Cum autem noxæ & peccata in dies magis crebra & quotidiana fiant, nobisque propterea iure ac merito sit timendum, ne eiusmodi peccandi libidine atque animorum proteruia, ad iram Deum prouocemus, quam multi pacis etiam tempore experti sunt, qui de horrendis maris & fluuiorum eluionibus, morborum contagione, pecoribus mala lue absumtis, commerciis ad incitas redactis, prosperitateque adeo valde diminuta conqueruntur. Quid! quod terribilis pestilentia regiones nobis vicinas peruasit, & in dies magis finibus nostris adpropinquat. Quapropter celsissimi in Belgio fœderato proceres hoc rerum statu, suarum duxerunt esse partium, vt publicis supplicationibus precibus ac ieiuniis diem 21. Ianuarii præfinirent, quo in prouinciis, vrbibus, locisque omnibus, quæ illorum parent imperio, in omnibus templis, sum-

„summa animi religione laudarentur  
„atque extollerentur immensa benefi-  
„cia, quibus Diuinum Numen patriam  
„nostram hucusque ornauit &c.

*Exportu Liburno, a. d. 26. Decembris.*  
Tertia abhinc die naus quædam Hollan-  
dorum ex Fano S. Michaelis Archangeli,  
sexaginta dierum spacio, huc est ap-  
pulsula, quæ Gibraltaria ante dies sede-  
cim soluerat, cuius præfectus docuit,  
Hispanos duas Algerianorum piratarum  
naues bellicas cepisse, quarum altera  
quæ 16 tormenta maiora cum 87 prædo-  
nibus maritimis uehebat, Malaccam est  
deducta. Hodie vero celox Gallica  
huc accessit, cuius vectores adfirmant  
alias duas Barbarorum naues bellicas  
cum aliquot nauibus longis prædatum  
exiisse. Ex insula Melita nuntiatur Tur-  
cas & mari & terra summo studio bel-  
lum apparare, iamque & Africanis ciui-  
tatibus maritimis, quæ turcarum ditio-  
ni subsunt, naues esse imperatas, seue-  
reque iniunctum, vt ex primo quoque  
tempore paratæ sint, licet quem bello  
adgredi velint, nondum adhuc constet.

*Genue, a. d. 27. Dec.* Auenione pestem  
longe atrocius in dies grassari intellexi-  
mus, quotidie namque plus minus du-  
centos homines mortuos numerari,  
quorum cadauera, passim per placeas  
insepulta iacent, quando quidem eis  
exportandis vespillones non sufficiant.

*Neapoli, a. d. 22. Decembr.* Proxime  
præterlapsa solis die, tanta hic orta fuit  
tempesta, vt compluribus locis aquæ  
marinæ, littoribus superfusæ, arbores  
innumeras radicitus euulserint, nauig-  
iaq; piscatorū quamplurima rapuerint.  
Etsi statutum iam erat, vt duæ illæ legio-  
nes, quibus litorū custodia hucusq; fuit  
demandata, quarum altera hispanis alte-  
ra germanis constat, exauctorentur, ea  
tamen res dilata tantisper est, dum præ-

fidiarii milites vbique locorum fuerint  
recensiti, vt ex iis agmen lectissimorum  
militum constitui queat, quod in regno  
hoc in posterum alatur, quingentos  
enim illos equites hungaros, ex Medio-  
lanensi ducatu non amplius huc esse  
venturos, certum est.

*Francofurto ad Mænum, a. d. 20. De-  
cembris.* Nudius tertius Istaffius Cog-  
gia, Tunetanorum legatus, haud ita  
magno stipatus equitum agmine, in  
hanc urbem venit, hesternoque die  
in viam se denuo dedit, & ad magnæ  
Britanniæ regem profectus est, cui ge-  
nerosissimos aliquot equos, pretiosis  
ornatos phaleris, dono adfert. Quid  
autem is rerum in mandatis acceperit  
a Tunetanis, nemini adhuc explora-  
tum est.

*Hamburgi, a. d. 27. Dec.* Literæ, quæ  
Hafnia ad nos peruenerunt, describe-  
re vix satis possunt gaudium, quo prin-  
ceps regia die 18. Dec. in illa vrbe ex-  
cepta fuerit. Præter varia enim orna-  
menta, quibus eo die ferme omnes in  
vrbe ædes fuere insignes, tres in pri-  
mis portæ triumphales, passim in vrbe  
positæ, gratissimum oculis præbuisse  
spectaculum dicuntur. Vna enim, quæ  
ab vrbis patribus iuxta curiam erecta,  
& veterum Romanorum more con-  
structa erat, Daniam & Noruegiam du-  
arum virginum specie exhibebat. Ad  
vtrumq; latus quatuor virtutum simu-  
lacro, inter quæ Fama medium tenebat  
locum, disposita, paullo autem inferi-  
us princeps regius equo insidens, atque  
ab altera parte illius coniux, variæque  
aliæ statuæ conspiciebantur. Altera  
porta triumphalis, quam Daneschio-  
lus Comes, e regione ædium suarum  
collocari iusserat, egregiis simulacris,  
& picturis locupletata erat, & prætere-  
untium oculos, animosque mirifice ad  
se

se conuertebat. Tertia tandem, quæ a Klockero, alio vrbis loco magnis sumptibus exstructa erat, artis excellentia, & rerum, quibus superbiebat, præstantia nihil quicquam cedere videbatur reliquis. Ciues etiam vrbis illo die pulcerrimis induti vestibus prodierunt, suumque aduenienti principi animum testati sunt. Ordo autem agminis per urbem procedentis eiusmodi fuisse dicitur: I. duo ductores agminum equis vecti. II. duo tubicines, cum equitum, qui regis corpus tuentur, caterua. III. Trostius, quem tribuni militum, rei navalis præfecti, consilarii quidam aulici, seruis quilibet suis cincti, sequebantur. IV. Thierckius, prætoribus, aulæ proceribus, & militiæ navalis ducibus comitatus. V. Prætorum legati, sanctioris concilii patres, & *Comites*, carpentis vecti. VI. Nobilium puerorum præfectus, & duodecim pueri nobiles. VII. præfectus aulæ principis regis, & nobiles aliquot feminae, quæ, honoris causa, variis apud principem regiam muneribus funguntur. VIII. Quatuor nobiles viri primi ordinis, satellitibus stipati. IX. Currus, quo princeps regia, cum regis filia vehebatur, quem cubiculi præfecti, & regni *Cancellarius*, equis impositi, cingebant.

*Dresda, a. d. 2. Ianuarii.* Nullum amplius est dubium regem nostrum Varsouiam propediem esse discessurum quippe quum non sarcinæ rantum iam sunt collectæ sed & aulicorum non pauci eodem præcesserint. Hac ipsa hebdomade speramus Reginam ad urbem nostram accessuram; iam enim magna pars suppellectilis eius nauibus huc est aduecta.

*Ex Holsatia, a. d. 31. Decemb.* Litteris Stralsunda missis nuntiatur, regem Sueciæ proximo vere in Pomeraniam quam

certissime venturum esse, vt incolas eius prouinciæ iureiurando sibi in obsequium obstringat. Ex ducatu megapolitano accepimus, conspiracyonem sceleratissimam hominum, duci insidias fruentium, miro modo esse detectam; ac deinde a consule quodam, atque *secretario* Scharffio, cum vi tormentorum ad confitendum coacti fuissent, clarius expositam. Factum videlicet esse vt nocturno tempore vir aliquis plebeius, excubitores præteriens, schedulam incautus ex pera amitteret, quam miles stationarius sublatam cum legisset, ad Ducem detulit. Dux, periculo tam præsentit tamque magno perterritus, ex vrbe protinus discessit, missoque Petropyr-gum cursore, ipse cum coniuge serenissima Berolinum statim abiit. Intellexerat enim fossos esse compluribus locis cuniculos, tormentarioque puluere repletos, cuius vi se in aera vna cum coniuge eiiciendum decreuerant scelerati homines, simul ac in aliquo locorum istorum fuisset commoratus.

*Vienna, a. d. 14. Ian.* Nudius abhinc tertius Imperator Augustissimus consilio sanctiori interfuit horis ante meridianis; a prandio vero proceribus nonnullis exterorumque principum legatis sui conueniendi potestatem dedit, hesternæ die vero venatione tempus fallere animumque oblectare ei libuit.

*Alia, a. d. 17. Ianuarii.* Superiori die Iouis *Excell. Comes Albanus* denuo proceres quamplurimos ad ædes suas conuocatos amphitheatrali spectaculo recreauit.

*Posonii, a. d. 21. Ianuarii.* *Excelsa Regiaque Commissio*, tum Venerabilis Cleri, tum Protestantium scripta, quorum nullus adhuc est finis, quam curatissime quotidie examinat.